



- I. Bericht vom Abschied d. Bernhartten zu Anhalt-Köne-
gen Zuey in Leisprecht.
- II. Leisprecht Georg Gemingen zu Braunshweig.
- III. Abschied v. Leisprecht G. Abtreyt beyten.
- IV. Abschied G. Eustiani Königer in Danmarck.
- V. Bericht vom Mord zu Montalto in Neapoli beyangere.
- VI. Carmen De Vita et Obitu Bernharti Principis Anhaltini.
- VII. Oratio de Vita et Morte Dn. Christophori Ducis Wirtenbergici.
- VIII. Elegia in Obitum Agnes conjugis Joachimi Ernesti Pr. Anhaltini.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Nee. u

DE VITⁿA

6.

ET OBITU ILLV-
STRISSIMI ET CHRISTI-
ANISSIMI PRINCIPIS AC DOMI-
NI, DOMINI BERNHARDI, PRINCIPIS
Anhaltini, Comitiscq; Alcaniæ, ac Domi-
ni Seruestæ & Bernburgi.

CARMEN HEROICVM

GERVASII MARSTALLERI,
*Medici Luneburgensis & An-
haltini.*

Huic addita alia quædam Poëmata fune-
bria eiusdem autoris.

ANNVS OBITVS.

PIV^s oblt, & MVnDV^s negLigt Ista.

WITEBERGÆ
EXCVDEBAT LAVREN-
tius Schwenck.

Anno 1570.

D. V. M.
- ET OBITU
R. WILLIAM ET CHRIS
ANASTASII PRINCIPIS
et Domini Bernardi
Anastasi Comitis
in

Caroli Heronovm
GERNASTII MARSTALLERII
Medici Curatoris
Salutem

In hac die et hora
huiusmodi
Anno

Pivs obli. & M. V. D. v. n. g. l. i. l. l. a.

WITTEBERG
EXCUSEBAT IANSEN
im
Anno



DE VITA
ET OBITU ILLV-
STRISSIMI ET CHRISTI-
ANISSIMI PRINCIPIS AC DOMI-
NI, DOMINI BERNHARDI, PRINCIPIS
Anhaltini, Comitiscq; Alcaniæ, ac Domi-
ni Seruestæ & Bernburgi.

CARMEN HEROICVM
GERVASII MARSTALLERI,
Medici Luneburgensis & An-
haltini.

Fata, uirumq; cano, ueteris quem collis Anhalti
Laudibus & claris Heröibus inclyta, ab ipso
Alcanæ, progenuit domus, ut tua munera Princeps
Has inter gentes, ad Muldam, Albimq; Salamq;
Sollicitis studijs rectè curaret, & ipsas
Ad pietatis opes summas, & ad optima quæq;
Duceret eximius magnis uirtutibus heros.

Magno operi tu Christe pares rogo suffice uires:
CHRISTE, patris rerum cunctarum gnate perennis,
Per quem parata salus nobis mortalibus, anguis
Tartarei miserè deceptis fraude dolisq;
Hunc etiam dignis uerbis ornato laborem:
Vt tua, BERNHARDVS qua fultus talia fecit,
Gratia nos homines inter celebretur, & amplos
Exerat in reliquis fructus, imitata subinde.

A 2

Filius

Filius ERNESTI, soli cui fata dederunt
Posteritatis opes hoc tempore stemmatis huius,
Clarus IOHANNES dedit hunc feliciter olim,
Cum tua MARTINVS coelestia uerba LUTHERVS
Purgaret, nobis duce te sacra dona salutis.
Ex tenebris reuocans: cum QUINTUS CAROLVS orbē
Romanum sapiens regeret: cum patruus huius
Bernhardi docto tua uerba GEORGIUS ore
Spargeret, hoc pluris faciens quam cætera, mundus
Quæ colit, & tanquam bona maxima quærit & optat.

Secula quindena & decies iam quatuor annos
Christe tuus læto numerauerat ordine coetus,
Post te iam nobis ex casta Virgine natum:
Iam quoque fulgebat mensi, qui nomine Martis
Cognitus, haud uano super addita septima denæ
Omne lux foelix, cum natus in hæc ueniret
Ærumnas puer hic BERNHARDVS, stemmate & ipsa
Indole præclarus, gignens noua gaudia lætis
Ciuibus atque aulis, ubi Mulda illabitur Albi,
Hic prope Dessauium, quod templi machina pulchra
Ornat, & eximij merito simul urbibus æquat.

Ipsæ tibi sacras hunc commendauit ad undas
Haudquaquam fictis precibus uotisque LUTHERVS,
Accedente tuo uixit creuitque fauore,
Et uis ingenij semper maioribus orta
Emicuit radijs, passim spem fecit & amplam,
Imbibit ætherei mox infans semina uerbi,
Aôniaque artes & quicquid principe dignum.

Maiorum

Maiores uigil est uestigia recta secutus
Omnibus in rebus, discendo & Sceptra gerendo,
Hortandoq; suos, & commoda certa ferendo
Afflictis, sumtu studiorum & castra fouendo.

Audiit ante alios patrem patruosq; GEORGVM
Atq; IOACHIMVM, patrualem patris & ipsum
VOLFGANGVM, heroës claros uirtutibus amplis.

Illi etiam fratres exemplo sæpè fuerunt,
CAROLVS, ERNESTVSq; pius, castæq; sorores.

Nec Præceptorem Lampertum spreuit Adamum,
Atq; alios multos superis benè grata monentes.

Hoc etiam dictu memorabile, & usq; notandum,
Quod puer & iuuenis fuerit grauitate senili,
Lusibus & nunquam leuibus nugisq; gauisus.

Quærebat tacitos secessus, seria uoluens
Mente animoq;, alijs uarios dum quærere lusus
Dulce fuit: sordes nullas & nulla probabat
Vana, sed urgebat recta, integra, & utile quicquid.

Sæpè recensebat iunior quæ uiderit olim
Non benè grata sibi, fuit alta mente repostum
Indignum quicquid tener audiit: atq; supremo
Displicuisse Deo quæ credidit, illa fideli
Atq; pio studio fugit cane peius & angue,
Ipso etiam primo sapiens in flore iuuentæ.

Aulas gustauit foris, at mox inde recepit
Seq; suosq; domum, cupiens ita uiuere Christo,
Atq; sibi melius, uitando pocula & aulæ
Illecebras uarias, & morum cætera damna.

A 3

Sic

Sic etiam Italiae monumenta, & Gallica regna
Sedulul inuilit, mox & uirtutis amore
Inde abiit, cupiens morum uitare pericla,
Vt uarios flores in pratis sedula passim
Gustat apis, gratos excerpens, atq; relinquens,
Hos, quibus occultum prudens uidet esse uenenum:
Sic etiam Princeps hic passim cuncta probauit,
Iudicioq; pio mala fugit, recta secutus.

Deniq; cognoscens quos coeli Rector in usus
Coniugij nexus & casti foedera lecti
Sanxerit, adiunxit sibi costam more probato:
Scilicet Illustrem CLARAM, pulchro ore modestam,
Formosamq; satis cum Virginitatis honore.

Hæc patre Francisco, quem Luneburgica castra
Agnouere suum Dominum, quemq; inclyta uirtus
Et pietas fecere grauem, fecere peritum,
Nata fuit, CLARA genitrice, ex stemmate prisco
Saxoniae ueteris, quod uenit origine prima
Ex genere Ascanio, cui nunc est nomen Anhalti.

Annus erat supra quingentos milleq; sextus
Iam decies lapsus, quintusq; his additus, istum
Quo sibi thesaurum Princeps hic cepit amoris
Sinceri, & dotum summarum, & Anhaltica rura
Hisce bonis auxit: fuerint quæ quanta, docebit
Historiae series, ægro quæ commoda semper
Præstiterit charo fidissima costa marito.

Ad te sed redeo Princeps ter maxime, narrans
Ingenij cordisq; tui rarissima dona,
Atq; uoluntatis iustæ clarissima signa, Quæ

Quæ quales fuerint, radices, qualia fulcra
Mentis ab æthereo fuerint data numine, fructus
Ostendere boni, uitæ melioris & acta.

Prima tibi semper cognoscere uerba salutis
Cura fuit, propriæ ut naturæ lege peritus,
Agnosces maculas caperes medicamina certa
Ex CHRISTI, æterno patre admittente, parata
Sanguine, & obsequio coleres sacra numina fidus.

Altera, ut hoc facerent tibi subdita turba, tuæq;
Singula membra domus, quotquot tua fouerat aula,
Fidus in hos usus curasti, ut dogmata Christi
Nota magis fierent, seruataq; cultaq; passim
Peruigiles caperent magna incrementa ministros.

His ædes lapsas reparasti, his præmia digna
Curasti, his fueras Meccenas, certus & hospes,
His ut confectis tandem succedere possent
Æquales, pueris ad munia tanta parandis
Rectores doctos fecisti semper adesse;
Quinetiam iuuenes discentes ære benignus
Fouisti, numerans his grata stipendia mitis.

Tertia cura fuit regere arte modoq; fideli,
Quotquot sacra tuæ fidei curæq; uoluntas
Commisit, quotquot sibi seruat Anhaltus alumnos:
Ut sua poena malis esset, custodia rectis,
Pauperibusq; stipes, solatia firmaq; cunctis,
Quos dolor & luctus & crux quæ cunq; premebat.

Testis in hoc certus tibi sum, qua fronte benignus
Iuueris afflictos, dederis solatia quanta.

D O R O S

DOROTHEAE tu fata meæ postrema colebas,
Funera & illius comitatus, magna ferebas
Afflicto clemens solatia, denicq; rursus
MARGARIN addebas costam mihi pectore miti,
Immeritis ornans me largus honoribus atq;
Muneribus faciliq; fouens pietatis amore.

Deinde fuit studium quartum seruare iugalis
Pacta thori, & sociam lecti erudisse, & amore
Complecti fido, connubia sanctaq; multis
Ornare exemplis, & nos monuisse fideli
Pectore, quo studio, qua sint ratione colenda
Fœdera coniugij, thalamiq; in iura recepta.

Vltima, quæ non est penitus spernenda patronis
Vxorum & prolis domuumq; hæc denicq; iuncta
Sollicitudo fuit, sua ut hæc sibi uita caduca
Præsidia in præsens uenturum & tempus haberent:
Vt loculi instructi pariterq; instructa culina
Cellaq; suppeditent, quæ postulat usus, honorq;
Atq; inopum ratio, soluendaq; debita multis.

Qui dare multa cupit, sibi plurima colligit ille,
Et capienda capit, parceq; expendit, ut olim
Sint sibi prompta, alijs quæ debita donaq; soluat.

Hæc inter sacris studijs sua tempora at usq;
Captabat, reputans, rogitansq;, legensq; subinde
Quæ monstrare uiam cœli quæ ducere possent
Ad uitam æternam, lenire & mortis agonem.

Ante alia hoc egit, prompta ut sibi regula uitæ
Atq; piæ mortis constaret, neue caducas

Res in

Res inter uanus, quæ sunt meliora, perennis
Negligeret uitæ per Christum tradita dona.

Sic animo facili morbos & pessima quæq;
Fata tulit, summum statuens ita uelle parentem,
Sicq; homini prodesse pio, sic scandere ad astra
Sub cruce cum Christo potius, quàm tendere ad Or
Præcipites inter securi gaudia mundi. (cum

Sic minimè elata suscepit gaudia mente,
Atq; in læticia fuerat moderatior usq;
Credere quàm possit, qui non quoq; talia uidit,
Sic minimè tumidum uidi cum filius illi
Indolis eximiæ datus esset munere lecti.
Sic minimè abiectum uidi cum filius idem
Mortuus in terram prædura sorte rediret.

Tales sæpè tulit casus moderamine tanto,
Quanto uix hominem credas, affectibus ultrò
Sepositis, uti mortali in corpore posse.

Omnia quis referat satis hîc præconia tanti
Principis; innumeris uirtutibus ille politus
Præ multis nitidè luxit, si singula recto
Iudicio penset, qui nouit Principis huius
Acta modumq; satis, si candidus æstimet illa.

Ingenium solers illi fuit, atq; probatum
Iudicium, magna grauitate fideq; quod urfit,
Quæ placuisse Deo statuit, quæ recta putauit.

In uerbis parcus, meditataq; cuncta locutus
Non facilè errauit; quæ protulit, irrita nunquam
Fecit, & in cunctis constans atq; integer usq;

B

Exti,

Extitit: in precio fuit illi candida uirtus,
Prudens haud quousis temerè suscepit amandos,
Quosq; suo tandem semel est dignatus amore,
Firmiter his clemens fauit, nec præbuit aures
Inuidiæ: haudquaquam mendacia cognita fouit.

Cætera ut his paucis addam, sic omnia sume:
In iuvene hoc fuerat sapientia, mensq; senilis.
Cum pietate graui, cum mansuetudine constans
Iusticia, & rerum summarum sedulus ardor,
Et labor inuictus, noctuq; diuq; requirens,
Optima quæq; sibi, nec in his satiabilis unquam.

Quas alij Cyathos uel lusus inter inanes
Consumpsere, illas præscis Annalibus horas
Hic Princeps tribuit, maiorum quæq; suorum
Nomina disquirens, in classes illaq; pulchrè
Distribuens, superans studio hoc monumenta priorū.

Hunc igitur nobis abreptum in flore iuuentæ
Lugemus meritò: sed & hoc quoq; nostra merentur
Peccata: indigni sumus hoc nos Principe, nummos
Qui tantis donis præponimus, atq; probamus
Hos magis assidui nobis qui pocula monstrant.

Ergo Patri summo placuit sic ordine morbis
Conficere heröem tantum, mortiq; parare
Aligerosq; inter supra astra locare ministros.

Conticeo reliquos morbos ac debilis usq;
Corporis affectus, quos toto tempore uitæ
Æqua mente tulit plus quàm quis credere possit.
Hunc autem uitæ qui tandem stamina rupit,

Aggre

Aggrediar, quanquam suspiria plurima gignet.

Virginis à partu, qui te dedit, optime CHRISTE,
Iam ter quinque ierant annorum secula, & illis
Nuper erat decies quoque septimus additus annus,
Iam quoque mensis erat Iani qui Clusius annum
Inchoat, huicque dies numerarat Apollo bis octo.

Proh dolor, hinc nimium tristis fatalia damna
Incipit heroi, cum iam se rite ualere
Crederet, in toto feruentem corpore massam
Sanguinis irritans pellenisque ad uasa palati.

Ferrata in canna ceu nitri fumida flamma
Accelerans subito mox fertur in aëra motu:
Sic caput inuadens cruor omnis trusus in altum
Extensis uenis effunditur impete magno.
Cumque per obstructas nares foret exitus illi
Nullus, is in fauces prorumpit fluminis instar.

Nec mora pars teneris pulmonibus influit, atque
Pars etiam in stomachum tanquam grauis irruit unda.
Quisque suam renuit molem, sursumque refundit.
Sic & lucta grauis sequitur per singula membra
Corporis, occlusum guttur suspiria tollit,
Corque premit, mortis nec parua pericla minatur.

Nox erat, è somno nos euocat undique clamans
Turba puellarum, nimium perterrita turba.
Protinus attoniti moesti que accurrimus omnes,
Et qua quisque potest (fuit hæc dignissima cura.)
Parte iuuare, iuuat: studiosi hoc quærimus omnes

Ille rosas adfert conditas, portat acetum

B ij

Alter,

Alter, & his uarios succos mox tertius addit.
Portulaca suum dederat prius arte paratum
Stringentem succum, quæ fauces proluit oris.
Hæc eadem calidæ ceruici iuncta repellunt
Quod uenit inde, petens caput: omnia cætera fiunt,
Quæ mora concedit, quæ datq; occasio præceps.

Officium & facimus certatim: spes tamen omnis
In miti (placidus qui dat bona singula) nobis
Estq; manetq; Deo, sine quo nulla arte iuuamur.

Flectimus hunc precibus, cõmuni uoce rogantes,
Ut nos & Dominum mox nostrum liberet ipse
Ex his ærumnis, reprimatq; hos sanguinis ausus.

Ille suos audit clemens uenasq;, reclusas
Stringit, ut haud quicquam fluat amplius inde cruoris.

Sic Dominum seruat, cui guttur & ora fluente
Sanguine replebant crudelia numina Parcæ:
Nimirum cordis sic cogere uasa uolentes,
Heroëm q; pium uiolenta extinguere morte,
Sed qui iam fuerat moriturus, uiuere posse
Creditur, auxilio Medicicq; patrisq; supremi.

Ipse tamen princeps horrendæ limina mortis
Se calcare putans, rogat, ut per uulnera Christi
Peccati molem possit deponere, uitæ
Donaq; perpetuæ gratis sibi sumere ob unum,
Qui moriens nostras culpas deleuit Ihesum.
Nos quoq; & hos omnes, si quos offenderit unquam,
Orat, ut ad ueniam prompti facilesq; lubenter
Fraterno offensas omnes donemus amori,

Id mox

Id mox quisq̄ facit, tamen hoc speramus, & istud
Curamus uigiles, proprio pro munere quisq̄,
Viuat ut in multos annos benè liber ab omni
Morborum insultu; fiunt quæ postulat ordo
Artis Apollineæ, quam rerum tradidit autor.

Sanguis concretus dissoluitur, undiq̄ uires
Accipiunt robur, quantum medicamina possunt
Et conferre dapes, atq̄ addita uota precesq̄:
Mox & grata quies redit, in certamq̄ uenimus
Spem uitæ, somnus tandem quoq̄ comprobat illam.

Interea accurrunt medici, fraterq̄ socrusq̄
Attoniti, inueniunt hîc sed grata omnia læti:
Collatis tamen hoc medicorum turba perita
Consilijs statuit, quæ sint facienda, recursus
Huius ne fiat morbi; tempusq̄ quieti
Sumitur, ut redeant uires, ut robore firmo
Cætera sustineant, ut & ordine singula fiant.

Sic abeunt luces ter septem, tuncq̄ recurrit
Proh dolor ille prior dicta ratione modoq̄
Fluxus, & attoniti facimus consueta, Deumq̄
Oramus: clemens iuuat hic, redeuntq̄ uocati
Huc iterum Medici, fraterq̄, & territa socrus.

Pergimus auxilijs medicis mala cuncta leuare,
His Peucerus adest magni gener ille Philippi,
Martinusq̄ etiam Stephanus, quem laudat amatq̄
Arctopolis Medicum, præsens Vuolfgangus & hilce
Doctus adest, Seruesta suo cognomine claro
Quem uocat Aurigam, quiq̄ aulam Principis huius

Consilijs prudens iuuat atq; Machaonis arte
Me quoq; GERVASIUM; tandē CASPARVS iisdem
NABVIVS accedit, probat omnia, plurima & addit.

Omnia sumpta suas praestant medicamina uires,
Et faciunt sperare diu nos optima quaeq;
Sed tamen usq; redit, tandemq; in uincula mortis
Iniicit ille fluor moti effusiq; cruoris.

Hoc fatale fuit, nec Princeps inscius huius
Mortis erat, primus Vates praedixit & illam,
Cum fratris coniunx petisset gaudia caeli,
Ipse uolens tristis lugebri in ueste, Sororis
Funera moesta sequi, captans sed & ante quietem,
Insolitum lectum pressit, qui frigida tandem
Membra IOACHIMI patruī seruauit ad urnam,
Huius fortē memor Princeps sibi fecerat omen
Inde pium, statuens se mox optata Sororis
Fata secuturum, seseq; accingere morti
Incipit, atq; DEVM rogat, ut sic numine miti
Possit in aeternam per CHRISTVM scandere uitam.

Credidit hoc minimē timidus, placitūq; sepulchrū
Delegit, pinxitq; manu propria ordine saxum,
Quo sua membra tegi cupiat, sic pingere & illud
Pictorem iussit nondum primordia morbi
Percipiens, sed fata sibi speransq; petensq;.

Hæc mihi narrauit tandem conamine morbi
Correptus statuens uenturum hoc ordine fatum.

Dixit & hoc; semper me mens praesaga monebat,
Hoc mihi uenturus quod tempore forsitan hospes:

Atq;

Atq; ideò quicquid conuulua talia pofcunt
Curauit: at uideo nunc gaudēs, quod mihi **CHRISTVS**
Ipfe futurus erit longè gratiffimus hospes.
O utinam ueniat citò, tecumq; auferat unà
Me quoq; ad æthereas, ubi maxima gaudia, fedes.

Addit hoc etiam, cum quintò fanguis abundè
Fluxiffet, luctas iam quinq;, pericula quinq;
Suffinui, auxiliante **DEO**, fed feptima, fpero,
Lucta mihi requiem gratam dabit aufpice **CHRISTO**,
Conditor ipfe etiam rerum, dum cuncta creaffet,
Hoc uoluit fapiens fibi lux ut feptima tandem
Confilio magno foret optima caufa quietis.

Talia narrauit mihi Princeps, meq; tacere
Iuffit in id tempus, donec res ipfa doceret
Ifta fibi minimè falfa omina uera fuiffe.

O utinam Superi feciffent irrita cuncta,
Viueret ac nobis Princeps in plurima luftra:
Proh dolor, at nimium uerax fuit, ipfaq; lucta
Septima, fuccedens mox feptenuſq; dierum
Septimus ordo dedit quicquid fperauerat ille.
Quin etiam tumulo claufit lux illa, quietis
Quæ fibi nomen habet, quæ fignat & optima quæq;.

Si quis fortè genus morbi putet omen habere,
Non equidem temerè id pofita ratione negarim.
Nam fic martyribus **CHRISTI** coniunctus, & ifto
Fœdere fufceptus, propria quoq; morte cruorem
Fudit, ut in numero fele efle oftenderet horum,
Ad uitam æternam qui **CHRISTI** fanguine loti,

In

In roseo crescit plantata Ecclesia CHRISTI
Sanguine, ab hocq; sibi robur uitamq; capessit.
Martyr primus Abel tinxit sua fata cruore,
Tinxerunt omnes quotquot dignatus honore
Martyrij CHRISTVS, proprio qui sanguine fuso
Nostra, suo Patre hoc $\lambda\upsilon\tau\rho\sigma$ poscente, piauit
Delicta, & meruit credentibus ista salutis
Munera, & in Coena cum corpore porrigit ipsum,
Hunc quoq; sanguineū thesaurū, hoc pignus amoris.

Ergò age iudicio ne dicas fortè sinistro
Diuinæ indicium fuerit mors ista quòd iræ:
Millia sanctorum sic multa obiêre, necemq;
Accipiunt talem iam nostro tempore passim,
Qui purum fidi profitentur dogma salutis
Inter eos, qui uana colunt Idola Bâalis.

Ergò DEI magno uenit mors ista fauore:
Vt quoq; BERNHARDVS moriens hoc pignus amoris
Diuini acciperet cum uita & fine laborum.

Hoc ut persuasum tibi sit magis optime lector,
Iam perpende etiam, qua se ille parauerit arte,
Quamq; uiam ad sanctæ, cœlesti numine, ductus,
Mortis iter prudens delegerit ordine pulchro.

Percurrens huius uitæ mala plurima, & horum
Causas, grande nefas hominum, uanasq; soluti
Delicias mundi, firmissima quærere cœpit
Gaudia cœlestis populi, finemq; malorum.

Nulla sed inueniens quæ sint medicamina certa
In rebus, quascunq; colunt tellusq; poli

Te præ

Te præter Christum, cuius mors una salutem
Humanam merita est, quæ reddit sola quietem,
Te solum coluit, petijtq; hoc pectore toto,
Vt tibi adesse queat, cupiens, quoq; ianitor esse
In domibus cœli potius, quàm regna tenere
In mundo, atq; huius uanis in honoribus esse.

Qui memorare uelit, quibus hæc sua maxima uota
Protulerit uerbis, quibus hocq; sibi esse probarit
Iudicium, hancq; fidem, texendam is sumet Homeri
Iliadem; nec erit finisq; modusq; labori.

Ista piè meditans percurrit Biblia tota:
Ista pièq; rogans Iesseos ordine Psalmos
Nocte dieq; sibi recitari iussit, & aures
Præbuit attentas, repetens gratissima multa.

Mensibus hoc factum, ceu constat, pene duobus
Non animis fictis, ueræ at pietatis amore,
Sat scio, quod roseum Ver non tam sæpè uidebit
Solares radios, quàm crebrò euoluimus hymnos
Dauidis cunctos, poscente id Principe sancto.

Ægrotans etiam bis sumsit pignora, nostræ
Quæ data sunt fidei, corpus Christi atq; cruorem
Huius, sub uino & pane, ut sibi certa salutis
Spes foret inde, suum corpus sic surgere ad astra
Cum Christi ut posset carne hac, cui peruia cuncta.

Addidit hæc preces humilis, sic scripsit, & ore *ad p̄b̄od̄od̄ōj̄j̄*
Fatus ait, Vicibus crebris suspiria iungens: (ste, *α.*)
Christe homo, Christe Deus, mihi dilectissime Christe
Hoc scio, quod tritici granum (res cognita uulgo)
C Nobis

Nobis frugiferum nequit esse, nisi ordine certo
Conficiatur humo, mortis ceu dente peremptum:
Sic ego in hoc mundo uiuens culpisq; neciq;
Subiectus, nihil hic solidè rectumq; bonumq;
Cogito, nec facio, sed carni immerlus ad omne
Delictum pronus uideo meliora, proboq;
Deteriora sequor: Varijs rationibus iram
Commereorq; tuam, reus & tibi tempus in omne
Viuo: nec hunc animum, nec mores hosce meopte
Ingenio mutare queo, nisi mortuus, & iam
A tellure, mihi uetus est quæ mater, in urna
Hac carne exutus consumar, teq; uocante
Et te dante nouis circumdatus undiq; membris
Integer huc redeã, massa & noua rectaq; surgam. (ste,
Te precor ergò, mihi Domine et Rex optime Chris
Ne differre uelis prauæ mihi soluere carnis
Vincula, ut his moriar peccatis, simq; sepultus
Hic in morte tua, tandem rediuiuus ut inde
Exoriar melior, duce te surgente, tibiq;
Sim tanquam gramen uiride & flos suauis odore,
Et ceu multiplici quæ grano spica superbit.
Quin mihi sat fuerit, si possim lanitor esse
In domibus bone CHRIS TE tuis, & habere coronæ
Haud pereuntis opes, & te spectare nitentem
De facie ad faciem, tibi ferre & laudis honores
Perpetuos, lætus cœlestia gaudia carpens.
His licet indignus uerè contraria fata
Sim potius meritis, tamen in te spero, tuumq;

Na

Nil dubitante fide, mihi nunc promitto fauorem;
Postquam tu frater mihi factus, homoq; iuisti
Crimina nostra bonus, nobiscum & foedus amoris
Contractum seruas, lapsos & sponte reducis.

Ergò licet uario sim perfidus ordine factus,
Et tua pacta minus seruarim, teq; subinde
Offendens summo possim nunc iure repelli:
Te tamen agnosco tam fidum, tamq; benignum,
Quòd nos perpetuo sic complectaris amore,
Vt nequeas humiles factos ueniamq; rogantes
Respuere, & fratres dilectos pellere ad Orcum.

Nostra tibi nota est, & curæ est semper inanis
Conditio, quàm nil possit caro nostra, cruorq;
Noster, & ut tanquam leuis aura feratur, & usq;
Erret, & haud possit rediisse & soluere iusta,
Tu nisi restituas, seruesq;, colasq;, iuuesq;.

Tu nos, tartareos dum coram Patre supremo
Accusat miserè Serpens, ac perdere tentat,
Quotidiè excusas facilis, tibi nostraq; spontè
Peccata imponis, tu nostraq; uulnera sanas.

Te rogo, tu præstò mihi sis, partesq; tuere
Quæso meas: dubio procul id facturum es, & me
Omne malum contrà, fidus sine fine iuabis.

In rigido mortis conflictu sis mihi constans
Adiutor, per te facias me uincere tandem.
O Domine adfer opem certam in discrimine tanto:
O Domine hanc luctam mihi fac benè cedere Victor
Vt duce te tandem uitæ inde trophæa reportem.

C ij Ah

Ah Domine huc clemēs ades, haud cessato uenire:
Ah Domine hanc lucem mihi nunc patere esse salutis
Perpetuæ ingressum, tua quem mihi gratia fauit.
Ah me Christe iuua, tuus ut mihi gaudia gignat
Notus in auxilio fauor, ut tua munera laudem.

Id facies, minimè dubito, tu fallere nescis:
Tu quoq; das habeat nidum, in quo tuta quiescat,
Ad uitam æternam quæ non est condita, hirundo.
Non igitur patiêre tua me morte redemptum
Desertum fieri, non me tua dextra relinquet.

Ergò age Christe ueni, grata cum pace uenito.
Ipse meis oculis fidei, quibus orta refulget
Lux sacra, quam uerbi doctrina, & quam sacer ipse
Spiritus accendit, te uidi, teq; salutis
Autorem agnoui, te sum confessus apertè.

Tu nostrum lumen, tenebras quod discutit omnes,
Non Israël tantum de semine natis,
Sed nobis etiam spretis de gentibus ortis.
Ergò meos oculos illustra, Christe fidelis,
Ne me corripiat somnus, qui durat in æuum,
Quique sit ad mortem, uitam qui perdere possit.

Sis igitur lumen mihi, quod ceu fulgida lampas
In patriam uitæ morientem deniq; ducat.
Nunc manibus commendo tuis corp^{is} animamq;
Christe meam: tu me saluasti, tuq; redemptor
Esq; manesq; mihi semper charissime Christe.

O mihi fide Deus, quo toto pectore nitor,
O Domine adiutor mihi sis, feliciter isthæc

Lucta

Lucta mihi cedat, duce te da uincere possim.

Audiit hasce preces Christus, mortisq; beatæ *Recessus a profecto
poeta.*

Horam concessit toties ea fata petenti.

Sic placidè in Christo, quem uoce animoq; uocabat,

Stemmatis Ascanij bonus hic obdormijt heros,

Martius Albino cum præcedente Calendas

Atq; sui primam mensis daret ordine lucem.

Scilicet hic fuerat dignus, qui uiueret annos

Nestoreos saluus, quem plurima lustra bearent.

Ingenio magnus fuerat, pietate sed ipsa

Maior, & assiduus uoluebat maxima secum.

Afflictis rebus potuisset ferre superstes

Præsidia ampla suis, monitis, precibusq; bonisq;

Consilijs: Sed non fuit hoc, qui sola meretur

Supplicia, hic dignus, qui talia munera haberet,

Mundus iners stultusq; colens hæc unica dona,

Quæ caro luxurians amat, & nil cætera curat

Ingratus, quæ grata Deo, quæ summa perennis

Accipiunt uitæ per te, Christe optime, dona.

Ille quidem uixit sex tantum lustra, sed hisce

Tam paucis annis egit, quæcunq; uel ipse

Tentauit Pylius tam multo pluribus heros.

Attamen hoc nimium triste & lacrymabile fatum

Quos gemitus dederit, quos fletus, quosq; dolores

His, quibus est curæ tam noxia funeris hora,

Quid memorare iuuat: quid uulnera tanta fricare

Proderit: his potius solatia certa ferenda.

O CLARA, ô tanti longè dignissima coniunx *Apostrophe ad
coniugem.*

C 3

Princi



Principis, adde modum lachrymis, compesce dolores,
Non tuus hic perijt coniunx, sed uiuit in aula
Perpetui & summi regis, iam Principe maior,
Et uidet æternum patrem, Christumq̃, sacrumq̃
Numen, & angelicos cœtus, animasq̃ beatas.

Has inter figit gratissima basia lætus
Filiolo nuper quem fata ad pulchra leuarunt
Sydera, & aligeris qui mixtus in arce ministris
Ætherea placidè ludens sibi gaudia carpit.

His quoq̃ iungeris sua tu post tempora, & illis
Addita non uerbum perdes hæc munera tanta;
Sed maiora tibi cœlum dabit, illaq̃ pluris
Tum facies, nec erit quod possit ferre dolores.

Hæc sperans faciensq̃ Deo quod postulat ipse
Officium, haud tenerum cor tanto confice luctu;
Difficiles morbos neq̃ sic tibi gignito spontè,
Offendens superos, & lædens propria membra.

Hoc tibi suadebat dulcissimus ipse maritus,
Cuius amore tibi non res grauis ulla mouebat
Tædia, non fuerat labor intolerabilis ullus.

Sum testis, mecum testabitur omnis & aula,
Quam fida adfueris, tuleris quæ comoda toto
Tempore coniugij: quoties afflictus & æger
Decubuit, toties solatia magna dedisti
Officij uerbisq̃ pijs fidissima coniunx.

Cætera prætereo, sed non tacuisse decebit,
Quæ nihil & curans ipsam te, pectore forti
Sis passa, incumbens genibus noctuq̃ diuq̃

Coniunx

Coniugis ad thalamum, faceres ut penè duobus
Mensibus officium quodcunq; fideliter, ille
Dum tulit ærumnas uarias afflictus & æger.

O sanctum pectus, generisq; propago fidelis,
Exemplarq; pijs, nec non ardentis amoris,
Virtutumq; decus, speculumq;, coronaq; coetus
Feminei: tribuant tibi longa beataq; lustra
Numina sacra, tibi nec in hoc gratentur, ut optas,
Coniugis ut iam nunc moriendo fata sequaris.

Sat scio, quod quamuis mortem sis prompta subire,
Dummodò cum socio thalami mox uiuere possis.
Id tua uerba docent, quæ profers, quæq; reponis
Coniugis in feretrum, quæ nil nisi propria quærunt
Fuera, ut in chari uenias quoq; busta mariti.

Sed quia sacra uetant mortem sic quærere uerba,
Desine uelle mori, nisi mortis uenerit hora.
Sis potius casti decus atq; corona pudoris
Exemplarq; piæ Viduæ, tibi dum tua fata
Prospiciant melius: melior patientia morte.

Velle mori quoties nos angunt tristia fata
Est uulgare quidem, sed rectè ac fortiter illa
Ferre, crucemq; DEI studio, gestare lubenter,
Id plus laudis habet, summo placet idq; Parenti.

Tu quoq; CLARA, pio quæ luges matris amore
Hunc generum, proprios alto preme corde dolores,
Atq; tuæ gnatæ potius solatia dicas,
Quàm lacrymis turbes: placeat diuina uoluntas,
Quæ, licet haud constet nobis, manet optima semper.
Deniq;

Deniq; tu Princeps ERNEST'E hæc funera fratris
Æquo animo perferre uelis, sic postulat ille,
Cuius quicunq; est ausus contemnere iussa,
Nemo impunè tulit: neq; tu sine corporis istud
Iactura spernes, luctus duplicando priores.
Sis animo forti, sperans meliora futura.

Sic tibi suppetias feret is, qui cuncta gubernat,
Qui mala, quæ patimur non duro pectore, certis
Compensare bonis solet, & qui sine beato
Claudit onus quoduis clemens, qui pondera nulli
Maiora imponit, quàm possit ferre supremi
Numinis auxilio, qui ponderat omnia iustè.

Exuuias igitur sanctas sine murmure duro
Accipiat templum, uiuens quod uisere semper
Consuevit, cuius fouitq; aluitq; ministros,
Cuius & optatas accessit sæpius aras,
Accipiens Christi corpus, Christiq; cruorem.

Ergò pius iaceat prope summum altare sepultus,
Atq; Ioachimum patrum, patrumq; Georgum
Vicinos habeat; tandem hinc ad sydera surgat
Cum socijs patruis, cum magnocq; agmine iuncto,
Quando tubæ coeli, Christo ueniente, sonabunt,
Ite mali ad pœnas, ad uestra pñq; uenite
Præmia, quæ meruit Christus, donata fidelq;
Accepit, credens Verbo, fidisq; ministris,
Et quiduis patiens certa spe, nempe futura
Quæ sunt per Christum promissa & tradita nobis.

Hic idem faciat nos omnes credere certò,

Inq;

Inq̄ uia tali nos seruet ad ultima fata,
Nosq̄ beet semper sua propter uulnera mitis.

Vos reliqui ingrati superis, qui talia nobis
Vestris criminibus cumulatis fata, relicto
Peccandi studio resipiscite, uosq̄ parate
Vicinae morti; capiti est admota bipennis.

Turca fremit socio cum Mosco, iunctaq̄ Gallo
Hydra biceps Romæ surit, indignata, salutis
Verba feri; Hispanus iuuat hos sine numine Zelus.

Interea nostri Proceres uertigine capti
Corradunt nummos, ludunt, potantq̄, nec hisce
Insidijs uerbo admoniti, medicamina quærunt.

Interea scriptis sciolis qui dogmata sacra
Corrupere, mouent reliquis certamina mystis.
Illos defendit mundus, qui turbidus ipse
Turbida amat, neq̄ iam sibi pocula clara meretur.

Sunt quibus est curæ fucato pallio amoris
Velare errores, & qui contraria dicunt
Concordes facere, ut nemo impegisse feratur.

Cætera securè dormit pars ebria mundi
Delitijs, opibus, titulis, & honoribus amplis.

Hæc nunc est facies, hæc nunc est formaq̄ mundi,
Quæ, nisi nos pueris orantibus addita parua
Spretaq̄ pars precibus faciat durare, perire
Nos coget miseros unà cum lumine Verbi.

At tu CHRIS TE tuos prius aufer, collige sanctos,
Quos tua sola mouet sine fucō sancta uoluntas. (mur:
Sic Princeps BERNHARDE breui te, spero, seques
D Quæ

Quæ nos cunq; tibi iunget mors, grata futura est.
Tu nos cum Christo cum coelitibusq; maneto:
Tu trahere nos quantum potes: hic nos uiuere tædet.
Hic ualeat mundus, cum Christo uiuere tutum.

EPITAPHIUM

*EIVSDEM PRINCIPIS BERNHAR
di, eodem Gervasio autore.*

Hic pius exuias posuit BERNHARDVS Anhalti
Eximius Princeps: hic noua membra manet,
Has aras coluit uiuens, his accubat aris,
Hinc uitæ æternæ sumsit & ille dapes.
Sex tantum uiuens lustra, hinc in flore iuuentæ
Abreptus cœli regna petiuit ouans:
Attamen his paucis annis est optima adeptus:
Mitis & æterni dona fauore Patris:
Coniugium felix, prolemq; ad sydera missam
Principis eximium nomen opesq; pñ:
Quoq; nihil maius, ueræ pietatis amorem
Et studium, & mortis deniq; fata piæ.
Quis maiora sibi peteret: qui munera firma,
Et qui perpetuæ dona salutis amat.

*AD EVNDEM PRINCI
PEM BERNHARDVM & C.*

Carmen eiusdem GERVASII.

I præ

I Præsancte Pater patriæ, nos sponte sequemur:
Te sine in hoc mundo uiuere triste tuis.
Errat, & ipse sibi nocet, hic qui uiuere gestit:
Cui pia mors uita est gratior, ille sapit.
Me nisi spes fallat, tua mox ego funera promptus
Insequar, in cœlis & tibi iunctus ero.
Quæ tibi culta fides in Christum, quæ tibi mortis
Causa piæ, uitæ quæ tibi dona dedit,
Hæc eadem Christi merito, Christiq; fauore
Me quoq; sustentat, me beat una fides.
Hæc etiam mea sit mundo confessio nota,
Quæ de morte tua carmine scripta meo.
Quod tibi persuasum, quod tu moriensq; petebas
Hoc ipsum credo, spero, petoq; mihi.
Nec dubito quin sit mihi talia cuncta daturus
Qui nulli, rectè si petat illa, negat.

ILLVSTRISSIMO AC PIEN-
TISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,
Domino IOACHIMO ERNESTO, Principi
Anhaltino, Comiti Ascaniæ, Dominoq; Seruestæ ac
Bernburgi, Domino suo clementissimo,
idem Geruasius &c.

O ERNESTE pater patriæ, cui surgit Anhaltus
Collis, & Ascaniæ nobile stemma domus.
Te **D**EVs adiutet, postquam nunc una Columna
Multiplicis gestas grande laboris onus.
D ij Outi

O utinam, ueluti cupiebas pectore toto
Vixisset frater plurima lustra tibi;
Sed quia sic illi placuit, qui intelligit unus
Quæ bona, quæ tandem commodiora pijs,
Hoc forti, quod non fuerat mutabile, fatum
Mente feras, statuens hoc quoq; uelle Deum.
Vult Deus hoc sapiens, te uultq; iuuare benignus,
Hoc ut onus forti pectore ferre queas.
Is tibi in auxilium nuper data fulcra tenella
Eriget, ut quondam te releuare queant.
Ergo age nunc prudens alto preme corde dolores,
Et sic parce tibi, sic quoq; parce tuis,
Dissimulans luctus solatia firma sorori
Adfer, & hæc curæ sit tibi perpetuæ.
Sic tibi compescet gemitus, suspiria tollet,
Qui mœstis animis subleuat omne malum.
Sic tibi supponet dextram, tua sceptraq; ducet
Ad proprias laudes, atq; salutis opem.
Hæc tibi concedat qui nobis portus & aura,
Sub cruce qui præstat commoda magna pijs.

ELEGIA.

EIVSDEM GERVASII, AFFIXA VAL-
uis aule & templi in funere defuncti huius
Principis BERNHARDI &c.

PRoh dolor, heu miseros casus, miserandaq; fata,
Sic patriæ patrem, sic cecidisse ducem.

Heu.

Heu miseram uiduam, quæ nunc pro coniuge funus,
Et uix dimidium quæ sibi corpus habet.
Heu deserta nimis domus, heu miserabilis aula,
Cui Caput, atq; huius spes reditusq; iacet,
Heu tristes populos solito Rectore carentes,
Tanquam grex ouium cui malè Pastor abest,
Sed sic fata ferunt, sic nos quoq; fata feramus:
Qui contra stimulum calcitrat, inde dolet.
Sic quæ securi cumulamus nostra merentur
Peccata, hæc nobis publica damna trahunt,
Vulgus iners prauumq; fugat per talia fata
Hos, quibus addiderat sceptræ regenda Deus.
Iustos Rectores odit, seq; optat habenis
Laxatis ruere in pessima quæq; procax.
Ista uidens Princeps BERNHARDVS, seq; labores
Hos non cum fructu sumere posse dolens,
Hoc unum petijt, dissolui & uiuere Christo,
Angelicosq; inter gaudia habere choros,
His se quottidiè curis studijsq; parabat
Sollicitus, discens non malè posse mori.
Mente quidem uigili curabat Publica, at inde
Se posse ad Christum uertere dulce fuit,
Sacra domi legit, quoties res cunq; ferebat,
Scripta pius, scripsit plurima & ipse pius.
Hoc in delitijs habuit, sacra uisere templa,
Auribus & cupidis sumere uerba DEI.
Ergò placet summo, qui dat bona quæq; parenti,
In templis possit semper ut esse suis.

D iij

Spiritus



Spiritus adiunctus CHRIS T O cœlestia templa,
Terrenum corpus terrea busta tenent:
Attamen hoc illi rursus sociabitur olim,
Cumq; anima in cœlo deniq; corpus erit.
Interea in templo solito, cum pace quiescant
Exuuiæ: hoc rerum postulat ordo bonus.
Nos reliqui uita meliori iusta colamus,
Curet & officij munia quisq; sui.
Cuiq; sit hoc studium primùm metuisse Tonantem,
Credere & huic uni speq; fideq; DE O.
Nec sit cura minor, sint ut solatia mœstis,
Mutuus atq; homines duret ut inter amor,
Sint sua pupillis, sua sint uiduisq; relictis
Gratia & auxilium, præueniente fide.
Qui sapit atq; cupit fugere impendentia damna,
Hæc agat, & prudens quæ meliora, colat.
Quando abeunt proceres, quorum fuit utilis usus,
Attingit nostras publica pœna fores.
Cætera conticeo, quæ Musa heroica tandem
Narrabit forsan dexteriore sono.

ARGVMENTVM CONCIO-
NIS FVNEBRIS, DESVPTVM

ex Capite 56. Esaie,

Abeodem GERVASIO versibus
Elegiacis redditum.

Iustus obit, reuocante Deo, nec talia uanus
Curat homo; nescit quæ bona stultus homo.

Fata

Fata pios rapiunt, nec ab ullo tanta notantur
Damna: leuis mundus negligit ista nimis.
Auocat hinc iustos Deus, impendentia fata
Ne uideant, hos ne publica damna premant.
Hi placido in somno diuina pace fruuntur
Inq̄ suis tumultis hos beat alma quies.

EX HIS DESUMPTA SEN-
TENTIA SEQVENS, QVAE INDICAT AN-
num quo obiit hic Princeps BERN-
HARDVS.

PIV's oblt. & MVnDV's negLlgt ista.

FINIS.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

IX HIS DES V M P A S H N
Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Nr 68.

f

ULB Halle

3


003 011 348



f
l.

me.





ET O
STRISSI
ANISSIMI


NI, DOMIN
Anhaltini, C
ni Se

GERVA
Medic

Huic addi

PIV's oblt,

W I
EXCV



6.

